



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 100. Prima Synodi Congregatio post Sessionem sextam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

tur. Hanc igitur obsecrat, ut datis ad Cliviæ Ducem fratrem suum literis eundem rogaret, quatenus in Cæsaris castra veniret, ac pro Marito, si fieri posset, pacem exoraret. Accessit ille, multisque precibus, ac rationibus a Cæsare petiit, ut præteritorum veniam Saxoni concederet: verum Cæsar eidem acerbius respondit, non prius de venia Saxoni impetranda deliberatum iri, nisi prius ipse supplex se Cæsaris arbitrio permisisset, cum igitur Elector se spe sua dejectum cerneret, unice intentus erat, ut se propriis armis pro viribus tueretur, hinc ut eo facilius suæ ditionis terras trans Albim fitas propugnaret, summa celeritate flumen trajecit, totis viribus Cæsarianorum impetus arcerere paratus.

§. C.

Prima Synodi Congregatio post Sessionem sextam.

Pallav. hist. Conc. Trid. l. 9. c. 1. n. 5. Rebus ita constitutis interim Tridentinæ crebræ habebantur Congregationes, in quibus cuncta pro septima Synodi Sessione prævie disponerentur. Harum prima erat Generalis die decimo quinto Januarii celebrata, in qua de articulis ibidem discutiendis agebatur: Præprimis vero Montanus Cardinalis de

de nuperis dissensionibus questus, Pa-
trum plerosque nimium obstinate suis

Sæc XVI.
A.C 1547.

sententiis inhærere affirmabat, & postea eos his verbis allocutus est: *Viginti octo Patres decretum approbavere, quatuor vero petierunt præfigi titulum Synodi representantis universam Ecclesiam; totidem censuerunt, emendationem nonnisi integram simul perficiendam esse, seu potius postularunt, ut mentio de Cardinalibus nominatim haberetur; aliis duodecim placuit, ne Episcopis non residentibus major irrogaretur pœna, quam quæ in jure communierat statuta: quinam fieri posset, ut in tanta varietate quidquam firmaretur?* His dictis, ea, quæ hucusque gesserat, vindicavit, simulque Patres hortatus est, ut deinceps cum majori animorum, atque opinionum consensu res pertractare, ac quæstiones, antequam suas desuper sententias proponerent, adeo mature discutere vellent, ut unanimis omnium approbatio sperari valeat, cum vero, addebat, nihil magis justificationi accedat, quam ipsa Sacramenta, hinc de iis in proxima Sessione agendum censeo, adhucdum tamen de tollendis residentiaë obstaculis consultatio haberi poterit.

Placuit ceteris hæc Cardinalis sententia, cum vero hujus argumenti amplitudo unius Sessionis angustias excederet,

Sæcul. XVI
A.C. 1547
deret, hinc unanimis omnium erat opinio, quod præprimis *de Sacramentis in genere*, postea vero de quolibet speciatim agendum esset.

§. CI.

De fide, & Reformatione agendi methodus a Montano proposita.

Pall. l. c. n. 8. & 9. Biduo post die decima septima Januarii Patribus in unum congregatis Legatus exposuit, quod abusus in Sacramentorum administratione occurrentes simul discuti possent, ut hac ratione ipsa etiam emendatio dogmati jungeretur. His addidit, ex Præsulibus, ac Juris Pontificii Doctoribus Congregationes esse formandas, in quibus in hasce corruptelas inquiri, remedia iisdem opponi, indeque decretum confici poterit: cum vero contingere posset, ut in eadem die simul de fide, ac de emendatione ejusmodi Congregationes haberentur, hinc decretum, ut conventui de dogmatibus instituto Cardinalis S. Crucis, illi autem, in quo de reformatione ageretur, Montanus præesset, atque horum Præsidum alter indicem describeret errorum, quos novi hæretici circa Sacramenta divulgarent: alter vero catalogum conficeret obstaculorum, quæ adhuc, quo minus Episcopi in